



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. XVII. Ad bonos mores Ecclesiasticorum facere plurimum vitam
communem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Homicida. distinct. 50. c. 5. Etiam si se defendens paganum occiderit, suadet, ne sacerdoti munere fungatur. Episcopus 15. sacerdos 12. lex his tres annos in pane, & aqua, diaconus, 10. in pane & aqua penitere iubetur distinct. 50. c. 4. 1. Si quis homicidium fecerit, si Episcopus est, 15. annos peniteat, & deponatur, cunctos quoque dies vite sue peregrinando finiat, presbyter 12. annis peniteat, tres ex his in pane, & aqua, & deponatur superioris sententia. Diaconus 10. annis peniteat, tres in pane & aqua, & ad gradum cuiuslibet sacerdotis accedere non presumat.

Falsarius beneficio priuatur, ita his appendice Lateran. Conc. 113. Qui literas pontificis falsauit in monasterio districtae religionis debet intrudi, beneficio, & officio spoliatus. ita distinct. 50. si Episcopus.

Et distinctione 19. c. 3. In memoriam. Si vero, (inquit) quod non decet, quilibet, siue sit presbyter, siue diaconus, aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando, redarguatur falsam ab Apostolica sede detulisse epistolam, vel aliud quid, quod inde non venerit, falsa fide, & integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, vsquequo per Epistolam, aut per idoneos suae partis legatos Apostolicam interpellat sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine lex Romana statuatur definire, ut & is corrigatur, & ceteris modis imponatur.

Concubinari deponitur, eorum concubinae ex urbibus propelluntur, vide T. 2. p. 1. 36. c. 2. c. Ipsi damnantur. T. 3. p. 2. f. 393. c. 1. c. & seq. Vide & t. 4. p. 2. f. 555. c. 1. d. c. & seq. & f. 234. c. 1. d. editionis Binianae.

Vsurarius distinct. 47. degradatur, c. 5. & 1. siue suo, siue alieno nomine id faciat. In his & similibus non deest poena secularibus, sed tamen nulla pars poenae Clericorum, qui fere deponuntur, est vero grauis depositio, cum enim sit ignominiosa, etiam facultates vitae aufert.

§. 7. Leuiiores etiam culpa, quas leges in ciuibus non puniunt, in clericis tamen grauius puniri solent quia non potest in eo statu esse aliquid leue, quod in initium est malorum ingentium.

Nempe 1. aduocato regulari nihil accipere licitum est, & seculari multa, 15. q. 2. obseruandum.

2. Episcopus rapere dicitur, cum nihil donat, 1. q. 2. Si quis propter.

3. Clericus aliena rapere conuincitur, qui sibi ultra necessaria retinere probatur. At Laici patrimonium sine nota augent.

4. Sacerdos si fuerit de collegio, si in aduersitate ab Ecclesia se auxilio subtraxerit, magis schismaticus, quam sacerdos iudicatur, 3. q. 1. nulli. At timore fugere non datur Laicis vitio.

5. Qui comam nutriunt inuiti ab Archidiacono, si deponere noluerint, derondeantur. Quis Laicorum comas censura dignatur.

6. Tabernaculum intrare non licet Clerico distinct. 43. c. 3. Nulli clerico licet tabernaculum, aut ergastrium habere. Si enim huiusmodi tabernaculum ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? si quis vero tale quid fecerit, aut cesserit, aut deponatur.

At seculares hac in re ne appellantur quidem. 7. Distinct. 44. 1. & seq. non liceat, si commellationes Laicis damnabiles sunt, quanto magis Clericis.

8. Curiositas in lectione philosophorum & poetarum puniunt, distinct. 37. sacerdotes.

9. Ignominiosum est Clericis affluere deliciis, & Christum pauperem praedicare, distinct. 35. Ecclesiae.

10. Deponuntur & degradantur praelati, & clerici post admonitionem frequentantes domos feminarum, 81. distinct. Clericus; causam suspicionis tam grauius leges puniunt:

Clericus tabernaculum exhibens deponitur.

Comestiones ventantur. Profanationes. Diuitia ignominiosa Clerico. Causam suspicionis in Clero puniunt leges.

11. Aleatores, ebriosi, & inhonestis ludis dediti deponuntur, 35. distinct. Episcopus.

12. Dilapidator rerum Ecclesiasticarum deponitur, 10. q. 2. & 12. q. 2. diaconi, nec depositus viuere debet seculariter, sed agere debet penitentiam. Hoc quidem graue est, sed si de eo agit lex, qui suos fructus dilapidat, de tali delicto decernit, quod lex ciuilibus raro punit.

13. Irreuerentia depositione punitur, 11. q. si quis.

14. Episcopus, presbyter, vel diaconus ludo seruens, nisi desinat est deponendus, 35. distinct. Episcopus, & distinct. 64. Clericum.

15. Negotiator Clericus, ut pestis fugiendus est. distinct. 88. Negotiatorem. At alios negotiari facile patimur.

16. Venatio Clericis prohibetur, & poena imponitur. Decret. l. 5. t. 2. c. 1. Episcopum, presbyterum, aut diaconum, canes, aut accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sepius detentus fuerit: si Episcopus est, tribus mensibus est communione; si presbyter, duobus: si diaconus, ab omni officio suspendatur.

Et cap. 2. Omnibus seruus Dei venationes & syluaticas rationes cum canibus, & accipitres aut falcones interdiximus.

Cum igitur Clericorum vel parua, vel maximis minora delicta grauius puniantur, quam Laicorum; non est illa pars disciplinae negligenda: Vbi vero conuenitur non potest stare morum integritas. Non est caritas, sed languor, ubi mali mores non corriguntur, 23. q. 5. non putes. Addam ego, sepe est ambitio, ideo enim multi praelati non corrigunt, quia offensionem timeant, ne suffragia sibi ad maiorem dignitatem obasperitatem disciplinae denegentur; imo multi ita se gerunt, quasi probatores sint vitiorum, quae a subditis committuntur, ne timeantur ut censores, si ad Episcopatum euahantur. Quia in re praelatus incerta spe dignitatis certam damnationem acquirit, & ordinarie Deus tam improbam praesumptionem plectitur infamia & repulsa.

Deinde subditos perdit. Nam non corrigere malos, sed fouere, est eos occidere, 23. q. 5. qui vitius, dist. 45. sed illud. Multi etiam propter obloquia officio defunt. Nam falsa & periculosa misericordia malis indulgent; cum propter asperitatem, vel blandimenta linguae delinquentium correctio postponitur, distinct. 50. Si diaconus. At verus praelatus malorum laudes amare non debet; quia vituperia sunt; neque eorum vereri obloquia, quia laudationes sunt; audiat, in quos iurauit, canones; Episcopus, in quibus illi, qui crimina non corrigit, non Episcopus, sed canis dicitur impudicus. dist. 73. nemo. Non est enim crudelitas crimina pro Deo punire, sed pietas.

C A P V T XVII.

Ad bonos mores Ecclesiasticorum facere plurimum vitam communem.

§. 1. IN Ecclesiae moribus & disciplina praecipue est spectanda antiquitas, omnia enim quo propius a suo principio abfuerunt, sinceriora fuerunt. Initialis vero Christi Ecclesiae recens de sanguine redemptoris sui purpurata, communem vitam in Apostolis, deinde in fidelibus post Domini ascensionem approbavit. Ita Clementis Epistola. Dilectissimis fratribus & condiscipulis, Hierosolymis cum charissimo fratre laico coepiscopo habitantibus, Clemens Episcopus: communis vita laudanda est, Frater, omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo dabilis, pro irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, praeterea verum eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit.

Aleatores, ebriosi, & deponuntur. Dilapidator, ludo seruens deponitur.

Negotiator. Venator.

Renouanda leges & disciplina, aliqui ex quo emendabuntur vitia.

Ambitio conuenit plectitur, & damnatione aeterna, & temporaria reposita. Timor obloquiorum vigorem corrigentis hebetat.

Communis vita antiquissima.

Communis vita laudanda est, Frater, omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo dabilis, pro irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, praeterea verum eorumque discipulorum imitari volunt. Communis enim usus omnium, quae sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit.

sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud, & sic inter mortales facta diuisio est.

Denique Græcorum quidam sapientissimus hac ita sciens esse, ait: communia debere esse amicorum omnia. Et sicut non potest (inquit) diuidi aer, neque splendor solis, ita nec reliqua quæ communiter in hoc mundo omnibus data sunt, ad habendum, diuidi debere, sed habenda esse communia. Vnde & Dominus per Prophetam loquitur, dicens: (Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.) Iste etiam consuetudinis more retento, etiam Apostoli, eorumque discipuli: ut prædictum est, vna nobiscum & vobiscum communem vitam duxere. Vnde (ut bene nostis) erat multitudinis eorum cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum aut nostrum de his quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed omnia illis & nobis erant communia, nec quisquam edens erat inter nos. Omnes autem, qui domos vel agros possidebant, vendebant eos: & præcia eorum, & reliquas res quas habebant, afferbant, ponentes ante pedes Apostolorum, sicut nobiscum quidam vestrum cognouerunt & viderunt: & diuidebantur singulis, prout cuique opus erat. Ananias autem vir auferus, & Sappira vxor eius, qui mentiti sunt Apostolis de pretio agrorum suorum, quos vendiderant, nobis presentibus, in conspectu omnium circumadstantium, a conspectu Apostolorum, propter peccatum eorum & mendacium quod fecerunt, mortui delati sunt ambo. Ceteraque quæ de talibus cognouimus & vidimus, nec recordatione, nec demonstratione digna sunt. Quæ propter hæc vobis cauenda mandamus, & doctrinis & exemplis Apostolorum obedire præcipimus: quia hi, qui mandata eorum postponunt non solum rei, sed extorres sunt. Quæ non solum vobis cauenda, sed & omnibus prædicanda sunt.

Authenticam vero Epistolam esse docemur ex Euseb. lib. 3. histor. c. 32. Hieronym. in Catal. & in comment. 55. Isaia cap. 10. Epiphani. hæres. 30. Fuitq; ea consuetudo diu Ierosolymis.

Facultatē possessorum data sunt Ecclesiæ ex ea viuere. §. 2. Urbanus primus testatur, postea facultates fidelium Ecclesiæ delatas, ut ex ipsi possessionibus viuere. Ita Epist. videntes ergo sacerdotes summi & alii, atque Leuitæ & reliqui fideles: plus utilitatis posse afferri, si hereditates & agros quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam presentibus, quam futuris temporibus, plurima & elegantiora possent ministrare fidelibus communem fidem ducentibus, quam ex pretio eorum: ceperunt prædia & agros quos vendere solebant, matricibus Ecclesiæ tradere & ex sumptibus eorum viuere. Ipse vero res in ditione singularum parochiarum, Episcoporum, qui locum tenent Apostolorum, erant, & sunt vsque adhuc, & futuri semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi, & fideles dispensatores eorum, omnibus communem vitam degere volentibus, ministrare cuncta necessaria debent, prout melius potuerint, ut nemo in eis egens inueniatur. Ipse enim res, fidelium oblationes appellantur, quia Domino offeruntur. Non ergo debent in aliis vsibus, quam Ecclesiasticis & prædictorum Christianorum fratrum vel indigentium conuerti: quia vota sunt fidelium, & præcia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum Domino tradita.

§. 3. Hinc monet Hieronymus vt Clerici nihil proprium possideant, Epist. ad Nepotianum. Clericus (1. 12. q. 1. c. 5.) qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum: & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur: Si enim & Græce, fors latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia sunt de sorte Domini, vel quia Dominus fors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet: talem se exhibere debet, vt ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino.

Qui Dominum possidet, & cum propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem, cum istis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius, nec accipio partē inter ceteras tribus: sed quasi leuitas,

& sacerdos vinctus de decimis, & altari seruienti, altaris oblatione sustentor. Habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequor.

Et Gregorius, Augustino Episcopo Anglorū resp. 1. & 2. Quia tua fraternitas monasterii regulis erudita, seorsum non debet fieri a clericis suis in Ecclesiā Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hæc debet instituere conuersationem, quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris: in quibus nullus eorum ex iis, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.

§. 4. Communem viuendirationem Clericorum Restaurata S. Augustinus, & Ambrosius restaurare conati sunt, vt crebro Clericorum vita & libris clarum est, magnam eius rei utilitatem Augustinus libro de cūmuni vita Clericorum ostendit. Marcus Alexandria omnes Christianos ita instituit, vt testatur Hieronymus de script. Eccles. in Marco. Idem tamen Augustinus suis Clericis de proprio viuentibus, id permisit. Quia, inquit, Augustinus malus eos cæcos, & claudos habere quam mortuos. Qui enim suadet, non Hypocrita est, mortuus est, magnum vero ab hypocryta periculum illis erat, qui inuiti socialem cum Augustini vitam viuenter. Itaque necessitatem simulandi illis abstulit.

§. 5. Cum igitur Clericis liceat habere propria, habitare suis in ædibus priuatim, & in communi plurimum societate; hoc secundum Ecclesiæ, moribusq; utilius esse arbitror. Ideoque ad laborandum, vt quantum eius fieri poterit, simul habitent Ecclesiastici. Id eo quod semper in Ecclesiā viri sanctissimi & desiderarunt, & fecerunt, id nunc quoque faciendum est. Itaque contra ius commune, ideoque ipso iure irrita sunt statuta quæ communem habitationem clericorum impediunt; nec cogi possunt vlli, vt domi sue soli habitent, focum habeant, sint familiæ suæ procuratores, sed apud quemlibet Ecclesiasticum virū honestum, prope suam Ecclesiā, apud collegas, aut prælatos habitare possunt nisi euidenter ostendatur separationis necessitas, de pueris, & adolescentibus statutum est in concilio. Aquilgranensi c. 135. Sed causæ in omni ætate valent, ita Concilium censuit. Solerter, rectores Ecclesiarum vigilare oportet, vt pueri & adolescentes qui in congregatione sibi commissi nutriuntur, vel erudiuntur, ita iugibus Ecclesiasticis disciplinis corrigantur, vt eorum lasciuia, & ad peccandum valde procliuus, nullum possit reperire locum, in quo peccati facinus proruat. Quapropter in huiusmodi custodiendis & spiritaliter erudiendis, talis à prælati constitutus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita artissime confringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbui, & armis spiritalibus induti, & Ecclesiæ utilitatibus parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque digne possint promoueri. Libuit præterea ob adificationem congruam, & instructionem negotii de quo agitur, quandam sanctorum patrum sententiam huic operi inferere, quæ ita se habet. Prona est omnis ætas ab adolescentia in malū. Nihil incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, vt si quis in clerico puer est, aut adolescentis existat, omnes in vno conclauis atrii commorentur: vt lubrica ætatis annos nō in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & Magistrum doctrinæ & testem vitæ habeant, &c. Hæc ita præmissis, oportet vt probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater vero cui hæc cura committitur, si eorum curam parumper dereliquit, & aliud, quam oportet, docuerit, aut eū in aliquo cuiuslibet lasciuie macula iniegerit, seuerissime correptus, ab officio amouatur: & fratri alii id committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet.

§. 6. Atque vt propius rem attingam, de canonicis, & eorum vicariis loquar, quamquam olim vicarii eo modo, quo nunc sunt, nulli fuerunt; & expediret, atq; omnino ad Dei maiorem gloriam est; canonicos, quocunque natalium, vel dignitatu splendore fulge-

Vicariū nomen perit canonicorum ab undantia.

Canonici
ex instituto
simul habi-
tarunt.

Claustra
canonicorum
olim fuisse.

Hi clerici
vetantur
inducere ve-
stem mona-
chalem.

Societas stu-
diorum ma-
ter est.

In vita com-
muni pruden-
tia di-
scitur, &
exercetur.

Pericula
peccandi
per vitam
commune
vitantur.

fulgeant, omnia diuina officia peragere, & Deum toto corde, atque intima humilitate colere, quos Deus tam splendide in Ecclesia sua conseruare, atque alere dignatur. Hos tamen vel omnes vel plures simul habitare, vna cibum capere, legere, conuersari velim; Hoc enim fuit eorum primæuum institutum. Legatur cap. 117. Concilii Aquilgranensis sub Stephano 5. tempore Ludouici pii. Prepositorum officium est, vt subditorum mētes sanctarum scripturarum lectionibus assidue muniant, ne lupus inuisibilis aditum inueniat, quo ouile Domini ingredi, & aliquam ouem subripere valeat. Et quauquam ab his hoc instantissime spiritus fieri oporteat, necesse est tamen, vt claustra in quibus clero sibi commissio canonicæ viuendū est, firmis vndiq; circumdant munitionibus, vt nulli omnino intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus. Sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, & cætera habitationes, vbi fratribus in vna societate viuendum necessaria. Qui vero hac, quæ permissa sunt, iuxta quod possibilitas suppetit, agere reuerit, impar minusque idoneus ad cætera officia Ecclesiastica peragenda habendus est. Et quanquam diuina vltione sit dignus, Synodali tamen est sententia feriendus.

Ecce canonicorum non modo coniunctionem, sed claustrorum munitionem, firmat Concilium, & ne monachos esse suspiceris, cap. 115. & cap. 125. eos à monachis dispescit.

Nec enim monachierant, qui vestem monachicā induere, diserte prohibentur, nisi & monachorum propositum velint assumere. Non itaque nouum cōsiliū scribo, sed ad vetera & probatiora digitum intendendo.

§. 7. Canonicorum mutua cohabitatio ad studia literarum, rerumque diuinarum est vtilissima. Nam & in eodem loco habere Bibliothecam possunt; deinde alios consulere, inquirere, disputare, omniaque exercitamenta doctrinarum in societate iucundissima vlturpare, incitant alios aliorum profectus, prouehit caritas, perficit eruditio. Neque enim haecenus vidimus viros, quos solitaria studia in summa eruditionem adduxerint. Variam enim agitationem, multorumque iudicia, & disceptationem postulat eruditio, ideo res publica est, & quo magis in publico, eo magis viget, floretque.

Quod de studiis vel liberalioribus, vel philosophia, & aliarum scientiarum dico, idem de sapientia, prudentiaque & agendi comitate asseuero; huius enim in multorum consortio primarius est fructus. Quemadmodum enim metalla mutuo attritu splendent, ita animus humanus, dum solitarius est, aut cum vno alteroue dūtaxat viuunt, quodammodo torpet, & æruginem trahit; dum in societate multorum agitur, multa videt, plura audit, ad prudentiam, viuendique familiaritatem ac comitatem mirabiliter expolitur. Quia vero iuniores maturis, & senibus in conuiuium dari vellem, vtilissima hæc societas erit. Vere Seneca Epist. 11. Omnium societas nulla præstantior est, nulla firmitior est, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate coniuncti.

§. 8. Vel vnum hoc commodum, omnibus quæ in societate fingi possunt incommodis præponderat; quod suspiciones ex ancipiti cohabitatione, vera pericula, occasionesque delinquendi, & ipsa peccata vitantur.

Plurimorum casus luget Ecclesia, plurimorum cognatorū pudet viros bonos, de scandalis plurimorū firmatur, & augeatur hæresis, non alia de causa, q̃ quod conuictus, hospitium, sodalitas, occasionem peccandi, cum spe latendi obtulit. Magnam habet occasio vim, quæ subito animos bene compositos deturbat, & antequam periculum videatur, inuoluit. Olim nonnulli præpositi plures canonicos congregabant, vanam gloriam ab hominibus captantes, vt numerosam cleri congregationem viderentur habere, cui nec

corporis, nec animæ solatia curabant exhibere, vt queritur Concilium Aquilgranens. Quid inde secutum? Explicatur eodem Concilio cap. 118. Hi namque taliter aggregati, dum à prælatis stipendia necessaria non accipiunt, neque canonicum seruant ordinem, nec diuinis officiis insistant, claustra, societatemque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi, & lasciuia, gula, & ebrietati, & cæteris suis voluptatibus dediti, quicquid sibi libitum est, licitum faciunt. Tantorum malorum causa erat, claustra, & societatem reliquisse: Quid iam sperandum de clericis, qui canonicum ordinem non seruant, non insistant diuinis officiis, extra consortia bonorum cum improbis, aut suspectis viuunt, & ingentes reditus ab Ecclesia percipiunt, quos aliqui vna se deambulatiuncula promereri vanissime credunt. His solitudo, opes, opium, quanta incitamenta ad flagitia præbeant multorum ruina testatur. Quas omnes occasiones tollerent, si vicium, habitationemque apud aliquem è prælatis, aut maturioribus confratribus sibi compararent. Hoc enim ago, vt si in vnam alteramue domū conuenire multi nondum consentiant, id tamen aliqui faciant, tres quatuorue canonici, totidem vicarii, illorum studium commendetur, & prælati approbent. Omnis clericus habeat vitæ suæ testem clericum.

§. 9. Periculum dixi in promiscua habitatione Clericorum & Laicorum, quia vitæ testes non habent, nisi eo tempore, quo in Ecclesiam conueniunt, ita mecum sentit S. Carolus Borromæus, & Concil. 1. Mediolanense, atque ex eo sensu leges bonas dedit, de ædibus Clericalibus. Quoniam non solum malum cauere, verum etiam omnem mali suspensionem fugere oportet, ne in cuiusquam offensionem incurramus; in ædibus ad canonicorum, aliorumue clericorum domicilium, & vsum edificatis, aut aliis, in quibus ipsi habitant, feminas quascumque, etiam quouis sanguinis cognationis, aut affinitatis vinculo coniunctas habitare prohibemus, nisi Episcopus in alicuius urgenti necessitate aliter faciendum esse duxerit; cuius conscientiam in hoc valde oneramus.

Ne parochi, aut omnino clerici, quauis etiam dignitate præditi, Ecclesie, etiam si commendata sit, ades, aut earum partes in vrbe, aut in oppidis possint, in quibus ipsi habitare soleant, aut debeant, vilo modo laico locent; nisi Ecclesia magna premarum inopia, & ea domus commode Episcopi iudicio diuidi possit.

Si vero ades extra urbem, & oppida ruri sita sint, locandi facultatem habeant; modo earum diuino eiusdem Episcopi iudicio recte & commode fieri possit.

Cauet etiam Episcopus, ne in vrbe, aut extra, huiusmodi ades, vel alia ab Ecclesia seuincta, vel etiam si patrimonii sint, ac propria, locentur iis quorum fidem, vitam, moresue suspensos esse iudicauerit.

§. 10. Quam vero honestum sit Canonico iuniori cum prælatis suis, virisque Ecclesiæ suæ spectatissimis viuere, adesse ei, quem vereatur, nemo est qui nō intelligat; imo quoddam, quorum nobis virtus ignota est, magni facimus, idcirco quia cum bonis versantur. Imo si maculam aliquam contraxerint, ea conuictu, & familiaritate grauium virorum dereritur, eluiturque; Nulla res magis animos inhonestos, & in prauum inclinabiles, reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præcepti obtinet, frequenter affici, frequenter audiri. Cum enim sint inter eos colloquia pia, honesta, erudita, ingenue recreationes, ipsi lusus, & relaxationes animorum liberalibus iocis, mature hilares, non dissolutæ, animus hæc ita combibit, vt totus ad honestatem transeat. Testimonium vitæ suæ habet, verecundiam retinet, ipse mox aliis verendus.

Decorum vero est, & prælatorum dignitati, & te- niorum, venerandæ canitiei, turbam iuniorum, aut honestiorum etiam

Hæc vitæ
nondum in
quibusdam
emendata
sunt.

Clericorum
ades ne fa-
mine in-
greddiamur.

Clericorum
ades Laici
non locan-
da.

Iuniori ni-
hil honestius, quam
cum graui
prælato co-
habitatio.

Seniores
niorum, aut
honestiorum
etiam

est fratres conuictores habere.

Pralati se- cum pluri- mos habe- ant clericos.

etiam fratrum coæuorum trahere. Publice viuere, & omnium actorum, verborum, imo processum habere testes. Eam esse de se opinionem, vt honestissimus quisque conuersationem eius familiaritatemque optet. Non est indignum prelato conuictores habere Ecclesiæ Clericos, quos confratres appellare consuevit. Non enim lucri cupiditate, sed amore disciplinæ domum aperit, tanquam refugium alias periclitaturis, & palæstram studiorum, & virtutum, alias minus profecturis. Concilium Mediolanense i. §. de familia Episcopi. Eum autem vehementer hortamur, vt in familia, quam plurimos possit, habeat Clericos, qui non nisi clericali vestitu vtantur, & in illis si commode fieri possit, nimirum duos sacris initiatos, & bona existimationis, qui vigilantem, & in opera misericordiam incumbentem, ac diuinarum literarum mysteria scrutantem Episcopum studiosius attendant, eiusque actionum, & sanctæ conuersationis quasi testes sint, & imitatores. Habeat deinde Ecclesiasticam personam, spectatam & probatam, quæ præfecta sit moribus familia, ac de omnium salute sollicita; spirituales vitam sustineat, eamque bonis & pijs artibus, ac literis, præsertim sacris, pro cuiusque sensu, & intelligentia, erudiendam curet.

Si honor est Episcopi Clericorum multitudo, cur non in Germania prælatorum, aut insignium canonicorum.

Coniunctio multorum celebriora reddit officia diuina.

§. 11. Fauere autem huic rei omnes Collegas oportet, nam & bonum inde nomen Ecclesiæ conciliatur, & frequentia maior in officiis diuinis erit. Si enim decem cum aliquo canonico alii habitent, non facile cum præsentibus aliorum diligentiam intuentur, ipsi aut domi remanebunt, aut alio se conferent; facit n. verecundia, vt raro delinquat, rara delinquentia inducit vsum vitutis; quia rarum malum non est, nisi cum spisso bono. Nunquid decem omnes simul emanebunt, tum quia bonos esse statuimus, tum quia in negligentiam culpabilem nunquam omnes conspirabunt. Quin ipse tam honoratæ societatis paterfamilias non æquo animo feret, eorum, quos domesticos habet, ignauiam. Aberunt etiam illa mala, & pericula, quæ a diuinis officiis omnino auocant.

Sumptus declinatur, vt superflui pauperibus.

§. 12. Quantum vero sumptibus detrahatur, id maxime sentient illi, qui communis vite dare voluerint. Pro decem focis lucebit vnus, non suppellectilis, non sartorum tectorum, non famulantium vel periculosa castitati, vel infidelia patrimoniis obsequia alenda, non conuiuiorum sumptus, non contractuum; nec tamen deferi hospitalitatem necesse fuerit, erit enim illa communis, plusque conferre singuli hospitalibus poterunt, quam nunc faciant vniuersi.

Ne vero hæc res in dubium vocetur; Aio nunc furto, & malignitate familia, canonicis ditioribus plus perire, quam in annum victum impenderent, si plures simul habitare vellent. Quid vero, dices, opulentia illa sacerdotali facies? Respondeo restituendas opes Christo. Bonum factum; parce viuere, vt pauperes liberaliter pascas. Hoc qui negat suæ dignitatis esse, ille æquum putat, esuriente Christo, se lautum esse.

Agri parua solatia inter seculares, vel solitarie habitantibus.

§. 13. Hanc denique coniunctionem plurium suadet ipsa necessitas, vt agri sibi mutuo, morientisque solatia præstent; nam dura est profectio eorum conditio, qui agri vix fida adiutoria habent, quorumque res inter ipsa funera rapiuntur. Quod non modo canonicis, sed Episcopis & Cardinalibus interdum contigisse constat.

Itaque consultum foret, sumptu, priuilegio, fauoreque eos iuuare, qui velin collegiatis Ecclesiis confratres suos æquo precio ad mensam suam adhibere, vel aliorum conuictores esse volunt.

Possentque eum in finem laxiores ædes, hortique concedi.

Vbi autem fieri potest, id agendum, vt plerique simul, aut sane nemo inter sæculares habitet.

Nec quicquam obstat, quo minus statuatur, vt omnes, qui capitulares non sunt, nec in studiis versantur, non libere, & suo arbitrio sibi diuersoria eligant, sed statuto capitulari apud virum aliquem grauem propriæ vel alterius Ecclesiæ habitare iubeantur, & vitæ suæ testimonium admittendi ad capitulum adferre.

Possent autem iudicio capituli, aut Episcopi designari viri prudentes, graues, bonique exempli. Nam absoluti, aut abruptis studiis, in summa libertate iuniores canonici facile aberrant.

Nec modo id in iunioribus, sed adultioribus etiam sensum inducendum arbitror, quamuis ad senatum seu capitulum sint admissi. Salubrique decreto licentiæ frena iniicienda. Quid enim graue fuerit, si tale statutum fiat? Quandoquidem multorum casus pro dolor nos docuerunt, in promiscua habitatione cum sæcularibus magna pericula esse, multosque boni propositi iuuenes, & viros mala societate à pietate abducos; capitulum pro suo officio, volens omnium & singulorum saluti consulere, irrefragabiliter statuit obseruandum.

PRIMO, vt iuniores canonici, qui studiis operam dant, siue in vrbe suæ residentiæ id faciant, siue diffitis Academiis, hospitium non nisi cum Scholastici consensu & approbatione accipiant, & si ei visum fuerit, mutent, certo scientes, fore vt pro toto tempore, quo non obtemperauerint, fructus illis tanquam suspensis negentur. Statuet vero Scholasticus, vt non nisi apud parentes, tutoresque sint, vel in seminariis, vel apud exemplaris vitæ, modestæque familiæ Ecclesiasticæ diuersentur, qui etiam de domestica conuersatione capitulo rationem reddere tenebuntur. Quod si apud honestos, piosque ciues habitare voluerint, id non sine capituli consensu permittetur. Idem statutum est de illis, qui studiis non vacant, nec in capitulo tamen sunt, quos omnino prope templum, apud confratres habitare volumus. Denique idem consuevit de omnibus, qui intra annum vicesimum sunt, quos senum exemplo in pietate proficere, nec rerum domesticarum cura occupari conuenit.

Hæc aut similia, vel strictiora, vel laxiora, si sensum inducantur, absque labore reformatio sponte sequetur.

De parochiis dicam peculiari loco.

CAPVT XVIII.

Capitula discipline causa instituta esse, & eorum modus.

§. 1. CAPITVLVM voco selectum Ecclesiæ se- natum iure & ordine congregatum; duplex vero est Cathedrale, & Ecclesiarum priuatarum, nam de religionum capitulis modo non agimus.

§. 2. Capituli nomen à religionum capitulis fluxit, cum enim plerisque in Ecclesiis vbi nunc Clerici, seu canonici degunt, fuerint religiosi, hinc factum est, vt nomina quædam & caeremonias religionum retinuerint, postquàm in canonicos mutati sunt. Res tamen antiquissima est; nam Episcopi olim cum fratribus suis; hoc est, consilio presbyterorum res arduas deliberabant, & eorum concilio exquebantur, ita normam habemus Apostolicam. Nam Apostoli loco Episcoporum, presbyteri vero sacerdotum loco fuerunt. Erant vero tum presbyteri siue seniores, qui Actorum §. in concilio cum Apostolis se-

kk

Imo saluti iuniorum necessarium est tale statutum.

Statutum bene, & utile de vita communi clericorum.

Capitulum causa.

Plerique canonici & Monachi sunt.